



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

Antipharmacum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40295**

*Antipharmacum.*

Hoc scilicet est obedire Apostolo momenti: *Obedite prepositis vestris, & subiacete eis.* Et Christo dicenti: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, mespernit,*  
*Et super Cathedram Moysi sedderunt scribae & Pharisæi; o-*  
*mnia ergo quaecunq; dixerint vobis seruate & facite, &c.* Si *Matth. 23.*  
*quis ita cum Luthero egisset, vel hodie cum Lutherano Prædicante ageret, & eo ipso obsequi nollet, quod*  
*Lutherus, aut Lutheranus Prædicans id præcepisset;*  
*pœnas vel carcere vel exilio quamprimum daret: cuius*  
*rei innúmera exempla suppetunt.*

In *Instructione Visitatorū Tom. 4. & Tom. 7. Ien. Germ.* mandat Lutherus, ut nemo ad Sacramentum Euchariстiæ admittatur, er sey denn von seinem Pfarrheri in sonderheit verhört/ ob er zum heiligen Sacrament zu gehen geschickt sey: *nisi prius à parocho suo auditus & examinatus fuerit; num ad sumptionem Eucharistia sit idoneus.* Huic Lutheri edicto refragetur, qui volet; & ad cœnam inexploratus & inexaminitus accedat; videamus, an non publicè repulsam sit relaturus non sine nota & infamia, præsertim si qui hoc facere tentet, sit ex vulgi ordine: nam cum maiorum gentium cœnatoribus Lutheranus Prædicans fortean dispensauerit, præsertim, si munusculum speret: cum enim munera superos placent, mirum sanè foret, Prædicantes tam saxeos esse; vt his mollientibus medicamentis sese emolliri non sinerent; maximè cum Lutherus in *Recognitione illius instructionis pro visitatoribus Tom 7. Ien. illis ad hoc faciendum viam strauerit, cum ab hoc onere subeundi examinis & approbationis liberauit se & ipsos Prædicantes, & alios doctos: solumque vulgus & vulgares sub cultro liquit.*

Q 2

Quæ-

Quæritur V. Vtrum Lutherani neminem ad Confessionem cogant. Affirmat Lutherus in Admonitione ad Francoford. Tom. 6. Ien. Germ. Zwar wir zwingen niemand zur Beichte / wie das alle vnser Schrifte bezeugen. Wer sie nicht haben wil / der laß sie faren / gleich wie wir nichts darnach fragen / Wer vnsern Catechismū vnd Lehr nicht haben wil. Hie hält niemand den anderen. Neminem cogimus ad Confessionem; quod omnianostrascripta testantur. Qui Confessionem habere non cupit; relinquat. Quemadmodum non curamus si quis nostrum Catechismum & doctrinam respuat. Hic nemo alterum impedit.

### Antipharmacum.

Hæc falsa esse, ostendunt, quæ paulo antea ex Instructione visitatorum commemorauimus. Scilicet hoc non est cogere, si quis à cœna repellatur, nisi prius aut Prædicantis examen & censuram subeat; aut confiteatur. Clamat quidem semper fidem & fidei instituta debere esse libera. Sed quam libera sint apud sectarios, non tantum vulgo, sed & iis, qui supra vulgus locati sunt; notum est. Et quam Lutherus æquo animo tuliterit suum Catechismum suamque doctrinam ab aliis repudiari, testantur scripta eius in Sacramentarios, & alios, quos placitorum suorum aduersarios habuit. Suspicionem de coactione iniicit quoque Confessio Augustana, cuius hæc sunt verba: *Confessio in Ecclesiis apud nos non est abolita, non enim solet porrigit corpus Domini, nisi antea exploratis & absolutis.* An non est hoc compellere, cœnam negare, nisi prius examinit te subiicias?

Quæritur VI. Num saltem homines ad Confessionem cogi debeant. Respondet Lutherus Serm. de Confessio-